Copia

Fredericus Sextus,
Dei Gratia Rex Daniæ, Vandalorum
Gothorumque, Dux Slesvici, Holsatiæ,
Stormariæ, Ditmarsiæ, Lauenburgi
et Oldenburgi, Serenissimo ac Poten-
tissimo Principi Domino Petro, Ea-
dem gratia Imperatori Constitutio-
nali & perpetuo Brasiliæ Defensori &c.
Fratri, Consanguineo et Amico Nostro
Carissimo Salutem. Serenissime ac
Potentissime Princeps, Frater, Consang-
uinee et Amice carissime. Quum
persuasum perspectumque habeamus,
Cæsaream Majestatem Vestram e pros-
peris rerum nostrarum eventibus semper
capere lætitiam, illi, quæ Nos & Ipsam
intercedit amicitiæ, conformem, Nostrum
esse duximus, certiorem Illam facere de
matrimonio, quod inter Filiam Nostram
dilectissimam, Serenissimam Principem,
Dominam Wilhelminam Mariam, et
Consobrinum Nostrum dilectissimum
Serenissimum Principem Fredericum
Ca-

Carolum Christianum die hesterno consummatum fuit. Confidimus certe, Cæsaream Majestatem Vestram pro eo quo in res nostras tenetur studio, cujusvis felicitatis vota pro hoc Nobis gratissimo eventu nuncupaturam esse, simulque Eandem divinæ summi Numinis tutelæ sedulo commendamus. Dabantur in Regia Nostra Hauniensi die 2do mensis Novembris anno MDCCCXXVIII.

Cæsareæ Majestatis Vestræ
bonus Frater, Consanguineus
et Amicus

Fredericus

Schimmelmann

ad
Dominum Petrum, Brasiliæ
Imperatorem Constitutionalem
et perpetuum Defensorem